

206. *Dantur tamen casus, in quibus motus proprius non firmat gratiam concessam.* — Resp. II. Dantur nihilominus nonnulli casus, in quibus clausula *motu proprio* non firmat gratiam concessam; idque ob defectum voluntatis ex parte principis gratiam concedentis. Ita Abbas, Felinus, Menochius, et alii in progressu citandi, qui proinde hactenus dicta in casibus illis limitanda censent.

207. *Ut si fiat cum expressione causæ falsæ: licet hæc per solum principem, v. g. Papam, opposita fuerit.* — Imprimis itaque motus proprius non prodest, quando fit cum expressione causæ falsæ: sive dein talis causa falsa fuerit antea per supplicentem allegata (ut in obreptione contingit, prout hanc quidam doctores distinguunt a subreptione per solum veritacitatem commissa, atque istam graviolem æstimant: juxta dicta, num. 153) sive motus proprius cum expressione causæ falsæ per principem sponte, ac nemine alio petente, sicque absque vitio subreptionis, concessus sit. Abbas, in c. *Quia circa*, n. 7, de *Consang. et affinitat.*; Felinus, loc. cit., n. 9; Menochius, de *Arbitrar. judic.*, cas. 201, n. 83; Sanchez, lib. VIII, de *Matrim.*, disp. 21, n. 32; Barbosa, loc. cit., n. 23, et alii. Ratio est: quia, dum princeps, puta Papa, exprimit causam concessi a se motus proprii (de causa finali, seu motiva sermo est, non de mere impulsiva, juxta dicta, n. 184 et seqq.) hoc ipso cognoscitur intentio ejus, quod nolit concedere gratiam ejusmodi, si causa a se expressa non subsistit; ergo tunc motus proprius nihil operatur; alioquin enim firmaretur gratia contra intentionem concedentis, nobis ex appositione causæ jam patefactam; quod est absurdum.

208. *Motus proprius non firmat gratiam, quando tacetur inhabilitas personæ.* — Secundo motus proprius non firmat gratiam, quando tacetur inhabilitas personæ, pro qua scribitur: ut si provisor de beneficio patiat defectum natalium, vel vitium corporis, aut sit bigamus, sive carens legitima ætate, vel alias irregularis. Nam clausula *motu proprio* non supplet tales defectus: neque enim ipsa continet dispensationem super inhabilitatibus, seu defectibus personæ. Glossa, in clem., *Si Romanus*, §. *Validam, de Præbend.*; Felinus, loc. cit., n. 7; Menochius, ubi supra, n. 81 et seqq.; Sanchez, de disp. 21, n. 49; Barbosa, num. 18 et alii.

209. *In hoc tamen casu vitium personæ non*

*potest objici per viam subreptionis, sed per viam juris.* — Solummodo nota, quod in tali casu vitium personæ non possit objici per viam subreptionis (nam persona nihil petit, sicque subreptionem non commisit, supponitur enim, quod motus proprius sponte, ac nemine petente, per principem fuerit expeditus) sed tantummodo poterit illud opponi per viam juris: quia nimirum personæ, talibus defectibus laborantes, jure communi sunt inhabiles ad consequendam hujusmodi gratiam, v. g. beneficium ecclesiasticum; neque vi memoratæ clausulæ motus proprii reperitur facta cum ipsis dispensatio aliqua. Felinus, Sanchez, ubi supra.

210. *Motus proprius nihil operatur in præjudicium tertii.* — Tertio clausula, *Motu proprio*, nihil operatur in præjudicium juris tertii; ac proinde non firmat gratiam, quando tacetur qualitas respiciens jus tertii, ut puta, si Papa cuiquam motu proprio conferat beneficium, quod est juris patronatus, et de hoc nulla fiat mentio. Abbas, in c. *Ad aures*, n. 5, et ibi Felinus, n. 8, h. t., generaliter docens, quod motus proprius non tollit jus quæsitum alteri in re, vel ad rem. Barbosa, cit. clausul. 79, n. 19; Rebuffus, loc. cit. §. *Nono non tollit*; Sanchez, n. 50, et alii. Ratio est, quia Papa non censetur velle præjudicare juri tertii, nisi id exprimat, c. *Quamvis*, 8, h. t., in 6, junctis dictis supra, num. 117. Ac proinde motus proprius non firmat gratiam in præjudicium tertii, quando nulla de hoc fit mentio: idque non ex defectu subreptionis (hæc enim locum non habet, ubi princeps gratiam sponte, ac nullo petente concessit); sed quia non apparet de voluntate principis concedentis: nam princeps in dubio, ac nisi aliud exprimat, non præsumitur velle præjudicium tertio facere, ut dictum.

211. *Alia clausulam Motu proprio concernentia. Remissive.* — Plura alia clausulam *Motu proprio*, ejusque effectus concernentia, videri possunt apud Rebuffum, in cit. tit. *De Mandatis apostolicis*, §. *Motus proprius*, ubi quadraginta septem effectus hujus clausulæ per ordinem refert, ac postmodum sexdecim enumerat casus, in quibus ipsa nihil operatur. Eandem clausulam una cum suis effectibus, fuse explicat Barbosa, in cit. clausula 79, per totum. (ADNOTATIO XXVI).

## § IX.

## DE ERRORIBUS, ET RASURA RESCRIPTORUM.

212. *Error latinitatis manifestus vitiat rescriptum.* — Quæritur I. Utrum error latinitatis vitiet rescriptum, vel testamenta aut publica instrumenta? Resp. I. Manifestus error latinitatis vitiat rescriptum Papæ; dummodo non sit omnino levis. Patet hoc ex c. *Ad audientiam*, 11, h. t., ubi Pontifex inquit: « Quibus litteris, quoniam manifestum continent in constructione peccatum, fidem te nolumus adhibere. » Et additur, « manifestum. » Nam, si error latinitatis foret dubitabilis, aut posset adhuc salvari per subauditionem, vel quamdam figuram, non vitaretur rescriptum. Abbas, in cit. 1, *Ad audientiam*, n. 2, et ibi Felinus, n. 3 et seqq., ubi undecim modis limitat allegatam decretalem, junctâ Glossa, in c. *Forus*, §. *Parte ablata, de Verb. signif.*, ubi varias tales figuras explicat.

213. *Idque ob præsumptionem falsificationis.* — Accedit ratio, quam ponit Glossa, d. c. *Ad audientiam*, §. *Manifestum*. Quia rescriptum Domini Papæ transit per multas manus, magnaque maturitate decoquitur; ergo verisimile non est, quod ex tam multis, tamque doctis officialibus nullus viderit patentem, simulque gravem errorem latinitatis, aut si vidit, ipsum reliquerit incorrectum. Unde oritur præsumptio rescriptum adeo vitiosum processisse extra voluntatem Papæ, et ab alio falsificatum esse.

214. *Dummodo error ille non sit omnino levis.* — Additur notanter in conclusione, « dummodo non sit omnino levis. » Secus enim dicendum est de tam levi errore; ut puta defectu unius litteræ, vel syllabæ: nam talis facilius subterfugit oculos plurium, præsertim gravioribus negotiis distentorum, ac proinde non vitiat rescriptum; ut c. *Ex parte*, 11, de *Fide instrument.*, ubi « Rescriptum apostolicum, pro eo, quod in hac dictione, spoliarunt, hæc figura O, deerat, » declaratur vitiosum non esse. Concordat textus, in l. *Qui habebat*, ff. de *Manumissis testam.*, ubi in casu, quo testator manumissurus servum, quem unicum habebat, vocavit eum *Crasticum*, cum appellaretur *Cratinus*: respondetur, « Nihil obesse, quod in syllaba errasset. » Unde Bartolus in summario ibidem inquit: « Error in syllaba non nocet. »

215. *Nec aliunde appareat de veritate litte-*

*rarum apostolicarum.* — Quinimo, quamvis manifestus latinitatis error præsumptionem pariat de falsificatione litterarum apostolicarum, ut dictum: eam nihilominus esse præsumptionem juris tantum, et quamdiu aliunde de veritate litterarum non apparet, probabile censet Engel, h. t. num. 13. Et favet textus in l. *Illicitas*, §. *Veritas*, ff. de *Offic. præsid.* ubi dicitur: « Veritas rerum, erroribus gestorum non vitatur. » Et consequenter, ubi aliunde apparet de veritate litterarum apostolicarum, ejusmodi error latinitatis, qui ob defectum scriptoris, ac nimiam occupationem, negotiorumque multitudinem, aliquando irrepere posset, non vitabit rescriptum apostolicum. Nec obstant verba cit. c. *Ad audientiam*, h. t. ibi: « Fidem te nolumus adhibere. » Nam hæc procedunt, quamdiu aliunde non apparet litteras esse legitimas, ac veras.

216. *In testamentis, et aliis instrumentis, error latinitatis non præjudicat.* — Resp. II. Loquendo nihilominus de testamentis, et aliis instrumentis, v. g. contractuum, quæ alieni tabellioni sine revisione aliorum officialium curiæ scribenda committuntur, et in quibus proinde error latinitatis ex vitio scribentis facilius irrepere potest, non præjudicat ejusmodi error reliquæ dispositioni. Ita Glossa fin. in cit. c. *Ad audientiam*, et ibi Abbas n. 3; Felinus, n. 8, et alii, passim. Idque patet ex l. *Errone*, C. de *Testament.* ubi summarium sic habet: « Error scribentis veritati non nocet; et ideo, si apparet de voluntate testatoris, licet per errorem scribentis scripta non fuerit, habetur pro scripta. »

217. *Ratio disparitatis inter hæc, et rescripta apostolica.* — Accedit ratio disparitatis inter rescripta apostolica, et instrumenta notariorum; quia hæc non transeunt per tam multas manus, sicuti rescripta: ac proinde facilius in illis potest irrepere falsa latinitas aut alius error. Æquum proinde est, ut talis error instrumentorum non vitiet, neque de falsitate suspectum reddat, quamdiu cæteroquin sufficienter appareat de voluntate testantis, sive disponentis.

218. *Error in nomine, vel pronomine, non vitiat testamentum vel aliam dispositionem, si constet de corpore: idque varie extenditur.* — Quæritur II. Quid dicendum de errore in nomine, vel pronomine, et an vitiet rescriptum, vel alia instrumenta? Resp. I. Error in nomine, vel pronomine, non vitiat testamentum vel aliam dispositionem, dummodo constet

de corpore, sive de quo senserit testator, aut disponens. Ita communis; et habetur decisum textu claro l. *Si in nomine*, C. de Testament. ibi: « Si in nomine, vel pronomine, seu cognomine, seu agnomine testator erraverit, nec tamen de quo senserit, incertum sit: error hujusmodi nihil officit veritati. » Ubi Glossa finalis hoc ipsum extendit ad errorem nominis legatarii, §. *Si quis in nomine*. *Insti. de legat.* Item ad errorem in nomine rei legatæ, dummodo de ipsa ceteroquin non ambigatur, l. *Si Fortidianum*, C. de Legat. Item ad errorem in vocabulo circa rem petitam in judicio, si de corpore conveniat, l. *Idem Pomponius*, §. *Cum in rem*, ff. de *her. vendicat.* ubi Bartolus hoc ipsum extendit ad errorem in nomine judicis. Concordat l. *Si quis in fundi vocabulo*, ff. de *Legatis* l. et l. *Demonstratio*, ff. de *Condit. et demonstrat.*

219. *Secus, si per talem errorem dispositio reddatur incerta.* — Notanter autem additur, « dummodo constet de corpore, » etc. Nam si per talem errorem reddatur dispositio incerta, ita ut propter errorem in nomine (puta, quia plures tali nomine appellantur) non appareat, de quo ipsorum fuerit intentio disponentis, nihil valet, d. l. *Idem Pomponius*, §. fin. et l. *Si in nomine*, juncta Glossa fin. C. de Testament. et concordantur per ipsam adductis. Quis enim nominam stante tali incertitudine poterit divinare de vera mente disponentis?

220. *Etiam rescripta non vitiantur per errorem in nomine, quando constat de corpore.* — Resp. II. Proxime dicta procedunt etiam in rescriptis; adeo ut ista non vitientur, neque invalida reddantur per errorem in nomine, vel cognomine commissum, si constet de corpore: sive persona, pro qua sunt concessa. Ita Felinus in c. *Significante*, n. 1, h. t. Sanchez lib. VIII, de *Matrim.* disp. 21, n. 37, citans alios. Idque probatur a simili per textus num. 214, jam allegatos. Et ratio est, quia rescriptum non conceditur propter nomen, sed propter personam supplicantis, et qualitates ipsi intrinsecas; ergo, quando constat de persona, ejusque preces veritate nituntur, non est, cur obstet error in nomine, c. *Intelligentia*, 6. de *Verb. signif.*

221. *Error tamen in nomine diœcesis vitiat rescriptum; cur?* — Objicies nihilominus majoris claritatis gratia. Error in nomine diœcesis vitiat rescriptum papale; ergo etiam in nomine, vel pronomine impetrantis.

Antecedens probatur ex c. *Significante*, 34, h. t. ubi propter errorem in nomine diœcesis cassatur rescriptum, quod fuerat obtentum contra Vitum diœcesis Rhemensis, cum idem Vitus voc de Rhemensi, sed de Leodiensi diœcesi existeret: ubi proinde summarium inquit: « Rescriptum impetratum contra hominem alicujus diœcesis, non extenditur ad hominem ejusdem nominis alterius diœcesis. » Resp. Hoc imprimis accidere ex eo, quia in tali casu non constat de corpore personæ, contra quam impetratum est rescriptum, cum non raro contingat plures eodem nomine appellari, simulque non præsumatur error in circumscriptione personæ. Abbas d. c. *Significante*, v. 1, juncta Glossa ibidem, §. *Non de Rhemensi*. Unde, ne tales litteræ adeo incertæ trahi possent ad plures personas, merito contra hujusmodi rescriptum (utpote quod non extenditur a persona ad personam) potuit persona alterius diœcesis excipere: cum præsumatur fuisse impetratum, atque datum, non contra ipsam, sed contra aliam personam specificatæ diœcesis.

222. *Et quæ sit diversa ratio de errore in nomine personæ ac diœcesis.* — Deinde, ac magis generaliter respondetur esse diversam rationem de errore in nomine personæ, de cujus corpore constat, et de errore in nomine diœcesis, quando per rescriptum fit delegatio causæ, seu cuiuspiam demandatur jurisdictio, aut executio rescripti apostolici; ut accidit in cit. c. *Significante*. Nam error in nomine non est causa finalis, ac motiva concedendi tale rescriptum; bene tamen error in diœcesi, utpote qui fuit causa, cur Pontifex ad judicem hujus diœcesis falso expressæ, et non additis consuetis clausulis derogatoriis, rescriptum direxerit; si enim Papa scivisset Vitum memoratum esse de Leodiensi diœcesi, jam non Rhemensibus, sed potius Leodiensibus iudicibus causæ ejusmodi cognitionem demandasset, vel saltem non tali modo ac forma rescriptum dedisset, sed cum clausula derogatoria dietarum, etc. ac proinde talis error intrinsece et substantialiter afficit rescriptum. Quinimo istud est nullum, non tam ob errorem in nomine diœcesis, quam ob defectum voluntatis ex parte concedentis: siquidem rescripta, quæ continent delegationem causarum, regulariter concedi non solent, nisi ad iudices delegatos intra diœcesin rei existentes, aut saltem non nisi cum clausula derogatoria

dietarum; cum alioquin reus extra suam diœcesin trahi non possit ultra duas dietas, c. *Nonnulli*, 28, h. t. imo nec ultra unam dietam, prout jure novo limitatur in c. *Statutum*, II, §. *Cum vero*, eod. in 6; Layman in d. c. *Significante*, n. 1, h. t.; Pirhing, eod. n. 114, et alii.

223. *Quando ipsemet Pontifex gratiam concedit, tunc non obest error in nomine diœcesis, si constet de corpore.* — Additur notanter, « quando per rescriptum fit delegatio causæ, » etc. Nam quando, ad præviam supplicationem partis ipsemet Pontifex gratiam concedit, v. g. actualiter cum aliquo dispensando, jam constat de mente concedentis; ac proinde non obest error in nomine diœcesis, sicut nec in pronomine, dummodo constet de corpore. Ratio est, quia tunc Papa intendit gratiam concedere propter alias rationes in supplicatione expressas, adeoque independenter a loco, sive nomine diœcesis, sicque error ejusmodi nullo modo est causa motiva, seu finalis dandi tale rescriptum. Gobat, tract. VIII, *Theolog. experiment.* n. 741, et favet Felinus, in cit. c. *Significante*, n. 2, et ibi Abbas, n. 4, h. t. post Jo. Andream distinguens « quod aut expressa vera diœcesi orator litteras habuisset (intellige cum iis clausulis) et tunc error non habet vitare, si constat de corpore, prout accidit in præsentibus casu, aut expressa vera diœcesi, litteras non habuisset, et tunc error habet vitare, » uti fit in priori casu.

224. *Rasura, vel cancellatio in loco suspecto, vitiat rescriptum, et aliud instrumentum.* — Quæritur III. An, et quando rasura vitiet rescriptum, vel alia instrumenta? Resp. Rasura, vel cancellatio litterarum in loco ceteroquin suspecto, gignit præsumptionem falsitatis; adeoque rescriptum, vel aliud quodcumque instrumentum habens rasuram in loco suspecto, tanquam falsum atque invalidum rejici potest, nihilque probat. Ita communis; et patet tum ex c. *Licet*, 5, juncta Glossa, §. *Tenuem. de Crimin. falsi.* et c. *Inter dilectos*, 6, §. *Sed contra. de Fide instrument.* etc. *Cum olim*, 14, de *Privileg.* ac præsertim ex. c. *Cum venerabilis*, 7, de *Religios. domib.* ubi in facti contingentia quoddam instrumentum « propter superlinearum scripturam, et rasuram loco suspecto factam, ubi videlicet annotatio temporis recensetur, » ad faciendam fidem reputatur esse invalidum, utpote de jure suspectum.

225. *Locus suspectus rasuræ, quis? Quid, si*

*fiat rasura in narratione facti, vel alio loco non suspecto?* — Dicitur notanter, « Rasura in loco suspecto, » etc. Ubi notandum quod « locus suspectus » impræsentiarum censetur esse, quando in verbis dispositivis facta est litura. Abbas c. *Ex litteris*, n. 1, de *Fide instrument.*; Rebuffus in *Praxi benefic.* §. *Requisita in litteris collationum*, n. 33. Et hinc rasura intelligitur facta in loco suspecto, quando est facta in ea parte rescripti, vel instrumenti, unde potissima ipsius vis ac mota desuper quæstio dependet. Alioquin enim, si rasura reperitur in loco non substantiali, adeoque nec suspecto, rescriptum apostolicum idcirco non redditur vitiosum. Glossa fin. cit. c. *Cum venerabilis. de Relig. domib.* et alia Glossa in l. *Edicto*, §. *Vitium*, C. de *Edicto divi Adrian. tollend.* et ibi Jason n. 19, ubi hoc exemplificat de rasura in exordio, vel præfatione notarii: sive, ut inquit Abbas cit. n. 1, in narratione rescripti, vel privilegii. Mascardus de *Probationibus*, concl. 1261, n. 9, et communis aliorum. Idque patet ex c. *Ex litteris*, 3, de *Fide instrument.* ubi, cum quædam litteræ arguerentur falsitatis, eo quod in narratione facti abrasæ fuissent: respondit Pontifex, « quod propter abrasionem illam litteræ judicari falsæ non possunt, nec etiam haberi suspectæ: » præsertim, « cum et privilegia in possessionibus (hoc est, in nominibus possessionum, ut explicat Glossa) abradantur, et litteræ narratione facti (si erratum est) possunt incunctanter abradi. » Hæc ibi.

226. *Aut rasura sit modica? Litteræ apostolicæ per quamcumque abrasionem ab impetrante factam redduntur falsæ, et radens falsarius.* — Insuper data n. 224, regula patitur quasdam limitationes. Et primo quidem, quando rasura est modica, seu paucarum litterarum non mutantium ordinariæ sensum. Mascardus, loc. cit. n. 10. Engel, h. t. n. 15. Vel quando ex præcedentibus, ac subsequentibus verbis, aut aliis hujusmodi rescriptis, sive instrumentis satis appareat, rasuram suspectam non esse, nec aliter scribi debuisse. Glossa, fin. d. c. *Cum venerabilis. de Religios. domib.* Jason, cit. n. 19, et alii. Cæterum, quænam rasura sit modica, et quando sensus rectus percipi valeat iudicis arbitrio relinquitur, qui illud ex qualitate abrasionis, et contextu verborum dijudicabit. Menochius, de *Arbitrar. judic.*, cas. 187, n. 41; Mascardus, loc. cit. n. 20.

Verum loquendo de litteris apostolicis istud est speciale, quod si constet, abrasionem quantumvis modicam in eis factam esse ab impetrante, vel utente, ipsæ reddantur falsæ et sic radens efficiatur falsarius, ac excommunicatus. Glossa, in c. *Licet*. §. *Tenuem. de Crimin. falsi*. Fagnanus, in c. *Ex conscientia*, n. 8, eod. citans plures alios, atque hoc intelligens, etiamsi foret rasura unius syllabæ, unius litteræ, vel puncti.

227. *Vel scriptura abrasa, manu ejusdem notarii rescripta fuerit?* — Deinde limitatur dicta regula, quando scriptura abrasa in parte cæteroquin substantiali, ita bene rescripta fuit, ut aperte cognoscatur, id manu ejusdem notarii factum esse. Jason, loc. cit. post Glossam in d. l. *Edicto*. §. *Prima figura* Bartolum, et alios; quamvis Abbas Panormit. contrarium teneat, in cit. c. *Cum venerabilis*. n. 8, de *Relig. domib.* eo quod nonnulli reperiantur scientes adulterare atque exacte imitari aliorum scripturam.

228. *Cautela notabilis circa hoc adhibenda.* — Ut igitur talis scriptura, quæ in loco cæteroquin substantiali per ipsummet notarium abrasa fuit, et super inscripta, vel etiam cancellata, ab omni falsi præsumptione removeatur; expedit adhibere cautelam illam, quam tradit Abbas ibid. et Mascardus, cit. concl. 1261, num. 16, et 17, citans alios, et allegans consuetudinem vulgo receptam: « Ut videlicet notarius, in fine scripturæ, et ante subscriptionem instrumenti, atque appositionem sigilli attestetur, qualiter ipse abrasit tale verbum in tali linea, vel fecit talem lineam in margine; quia tunc rasura illa nihil oberit, cum in tali casu et diem habeat et testes: secus, si non esset facta talis attestatio per notarium de ejusmodi vitio, vel esset facta in margine, aut post subscriptionem, quia tunc die, et testibus careret. » Mascardus cit. n. 17, post Bartolum, l. *Si unus*, n. 5, c. de *Testament.* juncta addit. marginal. Paulum de Castro, Decium, et Aug. Beroum, in consil. I, n. 38, volum. II, et alios.

229. *Quid, si rescriptum, vel aliud instrumentum, in qua rasura existit, adhuc clausum exhibeatur ordinario? Bullæ pontificiæ ob rasuram non facile solent rejici, et cur?* — Tertio limitatur regula, quando rescriptum, vel aliud instrumentum adhuc clausum, et signatum, coram ordinario exhibitum fuit: quia tunc rasura, si quæ apparet, potius in cancellaria præsumitur facta, quam ab im-

petrante. Quomodo enim impetrans illeso sigillo, ac litteris nondum apertis, eandem facere potuisset? Engel, cit. n. 15, post Joan. Honorium, h. t. num. 20. Et hac potissimum ratione potest salvari hodierna praxis vicariorum, et delegatorum Papæ, qui propter rasuram etiam in dispositivis, imo et in data, non solent facile ejusmodi bullas Pontificias rejicere: nam, ut observat Pyrrhus Corradus, lib. VII. *Praxis dispensationum apostolicarum*, n. 77. Litteræ apostolicæ, antequam ad plumbum ad ipsa cancellaria transmittantur, per officiales ad hoc deputatos possunt abradi, atque immutari, prout juxta mentem summi Pontificis, cujus cancellaria dicitur *Organum*, opus fuerit; prout pluribus declarat idem Pyrrhus Corradus, cit. n. 77, 78 et 79, addens, istud jam diu in cancellaria apostolica permitti ob ingentem numerum negotiorum.

230. *Vel illud reperitur penes adversarium?* Quarto limitatur, si scriptura, vel instrumentum reperitur penes meum adversarium, et iudex ipsum cogat exhibere instrumentum in judicio. Quia tunc non vitiat in mei præjudicium, imo ei præstatur integra fides in omnibus, in quibus potest sumi sensus ex tali instrumento; haud obstante, quod habeat rasuram in loco substantiali: præsumitur enim, quod adversarius eam dolose fecerit. Siquidem abrasio sive cancellatio, vel additio, præsumitur facta ab eo, penes quem reperitur instrumentum, nisi oppositum probetur, arg. l. *Majorem*, juncta Glossa, et doctoribus ibid. c. *Ad leg. Cornel. de Falsis*. Jason in l. *Si unus*, n. 9, c. de *Testament.* Atqui non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, l. *Non debet*. 75, ff. de *Reg. jur.* ac proinde rasura per adversarium meum facta, mihi non nocet. Jason in d. l. *Edicto*, n. 19, c. de *Edicto divi Adrian. tollend.* Mascardus, n. 22, et alij.

231. *Aut corroboretur per vivam vocem testium? Rasura, vel cancellatio præsumitur facta ab eo, penes quem reperitur instrumentum, nisi probetur oppositum.* — Quinto limitatur, quando instrumentum, in quo reperitur rasura, corroboratur per vivam vocem testium, arg. auth. de *Instrumentorum cautela*, collat. 6; Jason cit. n. 19, ubi rejecta prius opinione eorum, qui in isto casu unum testem sufficere dixerunt, ponit quasdam alias limitationes memoratæ regulæ, sed minus notabiles, quæ proinde hic omittuntur.

## § X.

## DE EXPIRATIONE RESCRIPTORUM OB MORTEM CONCEDENTIS.

232. *Rescripta justitiæ expirant morte concedentis re integra; non item, quando res non amplius est integra.* — Queritur I. Utrum rescripta justitiæ, seu ad lites, morte concedentis superveniente expirent? Resp. I. Certum est, quod rescripta justitiæ, seu ad lites, re adhuc integra, expirent morte concedentis; non item, quando res non amplius est integra. Ita communis; habeturque clare decisum quoad utramque partem in c. *Licet undique*. 30. de *Offic. delegat.* ibi. « Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod si jurisdictione a suossibi collega delegata, eo vivente uti non coeperit, quia mandatum hujusmodi re integra morte mandatoris expiravit, non habet solus officium judicandi: si vero ante mortem illius jurisdictione uti coeperit demandata, vices suas et illius poterit adimplere. » Concordat, c. *Relatum*. 19. et c. *Gratum*. 20. de *Offic. delegat.* et c. *Quamvis* cod. in 6. et l. *Et quia*, ff. de *Jurisdic. omn. judic.* cum similibus.

233. *Ea expirant etiam re integra, licet delegatus ignoret mortem delegantis, seu concedentis rescriptum.* — Et quidem adeo verum est, quod per mortem concedentis, seu delegantis, re integra expirent rescripta justitiæ, ac jurisdictione delegata, ut hoc procedat, etiamsi delegatus mortem delegantis ignoret; adeoque non valeat processus postea per ipsum formatus. Abbas in cit. c. *Gratum*. n. 10. de *Offic. delegat.* Speculator, tit. de *Judice delegato*. § *Restat videre*, n. 5. Sanchez, lib. III. de *Matrim. disp.* 22, n. 55 et 59 et alij. Siquidem jura proxime allegata loquuntur indistincte: unde nec nos distinguere debemus inter scientes et ignorantes mortem delegantis. Accedit, quod jurisdictione nondum efficaciter transierit in delegatum re adhuc integra, seu ante illius usum, c. *Quamvis*. de *Offic. delegat.*, in 6. sed potius effectualiter adhuc existat penes delegatum: unde non mirum, quod hujus morte expiret, tametsi istam delegatus ignoraverit. Sola vero ignorantia non potest tribuere jurisdictionem non habenti, arg. l. *Privatorum*. c. de *Jurisdic. omn. judic.*

234. *Dummodo non concurrat simul error communis.* — Intellige, quando solus dele-

gatus ignorat mortem delegantis, neque error communis concurrat. Secus quippe videtur dicendum, si omnibus passim talem mortem ignorantibus, concurrat simul error communis: nam tunc processus ex tali communi errore inchoatus, et gestus valebit, eo quod error communis jus attribuat, ut l. *Barbarius*. ff. de *Offic. prætor.* et notat Sanchez, loc. cit. n. 59. ac Layman in d. c. *Gratum*. n. 9. post Flamin. Parisium, lib. VII. de *Resignat. benefic.*, q. 24, n. 33. ampliatur. I. quidquid contradicat Abbas, ubi supra, n. 10. et 11. citans pro se Bartolum in l. *Et quia*. 19. ff. de *Jurisdic. omn. judic.* quorum sententia dumtaxat procedit secluso communi errore, et quando solus delegatus ignorat mortem delegantis, aliis eam passim scientibus.

235. *Rescripta justitiæ re integra expirant etiam cessatione officii ipsius concedentis, seu delegantis, per renuntiationem, vel dispositionem.* — Resp. II. Rescriptum justitiæ, sicut et jurisdictione delegata, re integra expirat etiam cessatione officii ipsius delegantis per renuntiationem, vel depositionem, aut translationem ad aliam dignitatem. Ita Anchoranus in c. *Gratum*, in fine de *Offic. delegat.*; Bartolus, in l. *More majorum*, n. 16. ff. de *Jurisd. omn. judic.*; Sanchez, lib. VIII. de *Matrim. disp.*, 28, n. 56. ut alij. Siquidem eadem est ratio de cessatione officii dictæ modis facta, ac de morte naturali: sicut enim per hanc, ita et per renuntiationem, depositionem, seu translationem, finitur officium, atque jurisdictione delegantis; ac proinde utrobique pari modo cessare debet re adhuc integra jurisdictione delegati, utpote quæ necdum efficaciter in ipsum transiit, d. c. *Quamvis*. de *Offic. delegat.* in 6. sicque omnino dependet a priori. Huc facit, cap. ult. de *Offic. legati*, juncta Glossa ibid. §. *Expiret*.

236. *Non item, si hic postmodum incurrat excommunicationem, vel suspensionem.* — Secus est dicendum de excommunicatione, vel suspensione per delegantem, seu concessorem litterarum contracta. Quia enim per hanc non extinguitur jurisdictione delegantis, etsi pro tunc impediatur exercitium suæ jurisdictionis: ita nec expirat rescriptum, si jurisdictione delegata ab ipso ante suam excommunicationem, vel suspensionem. Bartolus, ubi supra, n. 17. citans Innocentium in c. *Licet undique*. de *Offic. delegat.* Francus in c. *Si gratiose*. n. 12. de *Rescript.* in 6. Sar-